

sensu plano et vero ipsius litteræ.

XV. Et sic manet responsum ad instantiam, quæ exposcit, unde probamus Christum loqui de speciali sacramento, non de generali omnium administratione. Dicimus enim id constare ex ipsa littera Scripturæ, quia Christus dedit potestatem ibi super ipsa delicta et hominum peccata, ad retinenda illa vel solvenda: non possunt autem retineri et remitti, nisi præmissa cognitione causæ. Remittere autem peccata cum cognitione causæ et potestate retinendi aut absolvendi, est specialis modus collativus gratiæ, et remissionis culpæ, et significandi illam sensibilibus actibus iudicii et confessionis ipsius rei: ergo est speciale sacramentum. Ad id vero quod dicitur de excitatione ad fidem per baptismum respondetur, excitationem fidei non sufficere sine aliis dispositionibus præparativis ad gratiam, quæ requiruntur ad justificationem, et absque participatione passionis et sanguinis Christi, quæ fit per sacramenta, et specialiter per poenitentiam.

XVI. Instant hæretici generali illa promissione facta a Christo pro baptismo, Marci ultimo: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*: et Apostolus ad Ephes. v habet: *Christum mundare Ecclesiam lavacro aquæ, in verbo vitæ*: ergo omnis justificatio fit ratione baptismatis: ergo etiam qui justificatur post baptismum, per memoriam illius rursus excitabitur ad fidem, et reparabitur a peccato. Unde Augustinus, libro de nuptiis et concupiscentia, capite xxxiii, locum citatum Apostoli explicat sic: « Quod lavacro regenerationis non tantum peccata præterita, sed etiam posterius admissa remittuntur: » ergo operatur memoria baptismi ad remissionem peccati. Et S. Fulgentius libro de de fide ad Petrum, capite xxx, vo-

cat baptismum sacramentum fidei et poenitentiae, juxta quod in evangelio scribitur de Joanne, Luc. iii: *Quod venit prædicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum*. Denique suffragatur Cyrillus libro xii in Joannem, capite lvi, circa finem, ubi docet locum istum exponens, discipulos Christi duobus modis peccata remittere: primo, per baptismum; secundo, per poenitentiam: « Nam aut credentes, et vitæ sanctimonia probatos homines ad baptismum inducunt, ac deinde indignos diligenter expellunt; aut Ecclesia filiis, peccantibus quidem increpationem adhibent, poenitentibus autem indulgent: » ergo ille locus juxta Cyrillum de sacramento baptismi loquitur.

XVII. Respondetur, promissionem Christi pro baptismo factam esse quantum ad primam hominis regenerationem et justificationem, ac aggregationem ad Ecclesiam, non de ea sanctificatione quæ fit in lapsis post baptismum; hoc enim docet Apostolus ad Hebræos vi, dum ait: *Impossibile esse rursus renovari ad poenitentiam*, id est, rursus ipsa renovatione baptismi sanctificari, ut exponit D. Thomas lectione prima, ubi refert Novatum caput Novatianorum, quem expugnat; atque adeo memoriam baptismi hic excludit, quæ omnino impertinenter se habet ad reparationem posse lapsum, cum nihil in Scriptura positum sit de memoria baptismi post lapsum. Unde ergo id colligunt hæretici, qui tantopere in Scripturis gloriantur? Nam assignent nobis locum, quo promittitur reparatio peccatorum per memoriam baptismi. Quod enim per iterationem baptismi non possint peccata remitti, ipsi etiam fatentur cum constet unum tantum esse baptismum. Apostolus etiam dum dicit: *Mundari Ecclesiam lavacro aquæ*, de prima mundatione loquitur, non de

secunda reparatione; neque ibi quidquam loquitur de memoria baptismi. Divus autem Augustinus tribuit baptismum non solum præterita, sed etiam post ejus susceptionem admissa peccata tollere et non proxime, sed remote et radicaliter, quatenus per baptismum capaces reddimur sacramenti poenitentiae recipiendæ, si peccaverimus. Et hoc in eo testimonio assignat Augustinus, subjungens: « Quod non prodesset vel ante baptismum poenitentia, nisi baptismus sequeretur: vel postea, nisi præcesserit: » unde in epistola xxiii, inquit Augustinus: « Si parvulus baptizatus grandævus factus propria inceperit habere peccata, per quam gratiam remittentur? Non regeneratione, sed alia curatione resarciri posse. » D. Fulgentius loquitur de poenitentia, quæ agi debet ante baptismum, quæ est dispositio ad illum; in se autem non est sacramentum. Nos vero loquimur de poenitentia post baptismum. S. Cyrillus expresse distinguit duos modos religionis, alterum per baptismum, alterum per poenitentiam. Et licet Christus Dominus in illo testimonio dederit Apostolis Spiritum sanctum pro remissione faciendâ per poenitentiam, voluit tamen Cyrillus omnes modos numerare, quibus Apostolis concedebatur facere remissionem: non tamen intendit hinc negare quod per sacramentum poenitentiae fit.

## ARTICULUS II.

*Quo tempore Christus Dominus instituerit sacramentum poenitentiae?*

I. Omni tempore fuisse sacramentum poenitentiae, et in omni statu testatur D. Thomas in iv, dist. xxii, quæst. ii, art. iii, quæst. ii, scilicet

in lege naturæ, veteri, ac in lege gratiæ, in remedium peccati actualis præteriti. Et rationem reddit, nam omni tempore, statu ac lege fuere plura sacramenta in remedium peccati, ne deficeret medicina contra morbum. Et ideo omni tempore oportebat contra peccatum originale medicinam esse: ita et contra peccata actualia indiguit homo sacramento poenitentiae in remedium quotidiani morbi. Et in hoc convenit universa theologorum corona: idque etiam intendit glossa de poenitentia, dist. iv, dum asserit sacramentum institutum a Deo Genes. iii et iv, ubi exostulat Deus ab Adam et Eva confessionem criminis perpetrati. Id etiam intendit Waldensis tomo secundo de sacramentis, cap. cxxxv, et sequentibus, dum habet institutum fuisse in lege veteri, Levitici xxvi, ubi habetur: *Propter peccata patrum suorum affligentur, donec confiteantur iniquitates suas*: et Psal. xxxi: *Dixi, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei*: et Marc. i, Judæi accedebant ad baptismum Joannis: *Confitentes peccata sua*. In hoc ergo omnes consentiunt. Discrimen vero sacramenti poenitentiae in his statibus perspicuum est, cum in lege nova præcellat ex auctore, et ex gratia quam confert, et ex modo conferendi; in aliis namque statibus deficit maxime a perfectione, qua eminet in lege evangelica. Et hoc solum intendit magister Soto in iv, distinct. xi, quæst. ii, art. iii, et dist. xiv, quæst. i, art. vii, ubi asserit, in lege naturæ et in lege scripta non fuisse sacramentum poenitentiae, id est, ejusdem speciei atomæ cum poenitentia legis gratiæ; quod est verum, cum specie subalterna differat sacramentum poenitentiae nostrum a poenitentia legis naturæ et veteris legis.

II. Cujus rationem perpulchre attingit D. Thomas hic art. vii ad primum et secundum, et in quarto, loco citato; nam variato aliquo quod est essentia rei, res transit ad aliam essentiam, cum essentiæ rerum in indivisibili consistent, et sint sicut numeri. Modus autem in pœnitentiæ sacramento novæ legis, et in eo observatus tamquam quid essenziale conveniens, utpote ex Christi instituto, in eo consistit, quod pœnitens conteratur cum proposito confitendi in speciali sua peccata, et satisfaciendi pro eis: et hoc coram sacerdote habente potestatem clavium, ligandi scilicet ac solvendi ad arbitrium suum, cui etiam subicitur satisfactio. Pœnitentia autem legis naturæ ab his cadit, quia in ea nihil erat determinatum, sed unusquisque quod sibi ad illum finem conveniens judicabat, id faciebat. Unde teste Hugone libro de sacramentis, parte xi, cap. iii: « Omnia sacramenta legis naturæ voto celebrantur, sive beneplacito celebrantur. » Pœnitentia etiam legis veteris cadit a pœnitentia nostra, quia contritio non ordinabatur ad confessionem et satisfactionem, nec confessio fiebat habenti potestatem clavium, nec satisfactio subdebatur arbitrio sacerdotis: et consequenter sacramentum pœnitentiæ non sumpsit originem usque ad adventum Christi.

III. Inquires: Cur sacramentum pœnitentiæ non sumpsit originem a lege naturæ aut veteri, et ante legem gratiæ? Respondetur, quod nulla a priori potest assignari ratio, nisi voluntas Christi, quæ est adæquata ratio, a qua desumitur essentia omnium sacramentorum, materia ac forma, ac reliquæ circumstantiæ temporis, etc. Ratio enim signi ad placitum ex mera constituentis voluntate adæquate desumitur. Nihilominus supposita institu-

tione adaptari potest congruentia cum gravi fundamento, quæ stat in eo, quod efficacia sacramentorum fluit ex plenitudine redundantis passionis, et loquor de sacramentis novæ legis, et meritorum Christi, ante cujus adventum omnia sacramenta erant vacua elementa, infirma et egena, ut testatur Apostolus ad Galatas iv, et ita ante adventum Christi non debuerunt sacramenta ubertate gratiæ plena esse: sufficiebat quod præstarentur in umbra et figura veritatis immediate exequendæ post Christum. Ex ordine etiam quam servavit ipse, constat, nam pœnitentiæ sacramentum ordinatur ad delenda peccata post baptismum commissa, et consequenter supponere debet baptismi institutionem, quæ nullatenus fuit ante Christi adventum.

IV. His suppositis, solum restat in præsentibus duo resolvere. Primum est, quis sit auctor et institutor hujus sacramenti post adventum Christi: secundo, quo tempore celebrata sit ejus institutio. Circa primum hæretici nostri temporis absolute negant sacramentum pœnitentiæ institutum fuisse a Christo Domino. Petrus quidem Oxomensis Salmantiæ primarius professor, ait efficaciam remittendi peccata, quæ est in hoc sacramento, non ex Christi institutione, sed ex naturali jure et virtute propria provenire. Erasmus, quem refert Petrus de Soto lectione iii de confessione, affirmat hoc sacramentum institutum esse ab Ecclesia vel ab Apostolis, quam sententiam sequitur S. Bonaventura in iv, dist. xvii, parte ii, art. i, quæst. iii, quatenus ait pœnitentiam tantum fuisse insinuatam a Christo Domino, ab Ecclesia et Apostolis institutam, et a Jacobo promulgatam; cui subscribit Marsilius in iv, quæst. ii, articulo secundo.

V. Cujus sententiæ fundamentum

est, quia in lege gratiæ non fit expressa mentio confessionis sacramentalis nisi illis verbis Jacobi v: *Confitemini alterutrum peccata vestra: nec Christus usus est potestate clavium, quod manifestum est indicium non fuisse tunc sacramentum institutum, cum Christus sacramentis omnibus institutis sit usum, quæ non afferunt repugnantiam aut indecentiam; utpote in eucharistia, qua seipsum cibavit in cœna, et in sacramento ordinis, quod administravit ordinando Apostolos in sacerdotes: nullam autem repugnantiam aut indecentiam involvit administratio pœnitentiæ: imo excellentiam præ se fert maximam, scilicet omnipotentiam, quæ in remissione peccatorum fulget, prout fit in sacramento pœnitentiæ.*

VI. Nihilominus dico primo: Sacramentum pœnitentiæ institutum est a Christo Domino immediate. Ab hac conclusione nemo recedere potest salva fide, cum expresse definitur in Tridentino generaliter quidem sessione vii, canone primo in quo anathematizatur qui dixerit: « Sacramenta novæ legis non fuisse a Christo Domino instituta; » et specialiter de sacramento pœnitentiæ sess. xvii, cap. i et canone i definitum sit: « Si quis dixerit in catholica Ecclesia pœnitentiam non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, anathema sit: » idem dicitur in bulla Sixti IV, qua approbat acta congregationis Complutensis, et sententiam contra Petrum Oxomensem, quæ habetur immediate ante Concilium Lateranense in summa Conciliorum: non autem diceretur Christus institutor hujus sacramenti per solam insinuationem aut consilium, vel tacitam voluntatem; neque esset institutor absolute, si Ecclesia immediate illud instituisset. Ideo enim Christus non est institutor rituum

et cæremoniarum Ecclesiæ, etiamsi ab eo derivetur ad Ecclesiam potestas condendi leges, instituendi ritus et cæremonias, ut testatur Concilium Tridentinum citato canone xiii, appellans ea omnia ritus et cæremonias Ecclesiæ, non Christi, cum contra ponat eis quæ habent esse ex Christi institutione. Et sessione xxi, capite ii, determinat posse Ecclesiam mutare ritus sacramentorum non substantiam. Unde sentit Concilium, substantiam sacramentorum (utpote a Christo immediate institutam) ab ipso solo pendere. Ex quibus constat Christum immediate instituere hoc sacramentum: id enim intendit Tridentinum definire, quod negabant hæretici, Christum scilicet non immediate instituisse pœnitentiæ sacramentum.

VII. Ratione etiam fulcitur nostra conclusio, nam ad eum spectat instituere sacramentum, apud quem residet potestas excellentiæ ad fundandam Ecclesiam supra tales bases et fundamenta, et ad fulciendum munimine necessario ad salutem fidelium: unde et instituit Christus baptismum contra originale, et reliqua peccata ante ipsius susceptionem commissa: ergo post ingressum ad Ecclesiam post baptismum, ad fundatorem spectat superaddere pœnitentiam, in cujus institutione splendet potestatis excellentia, utpote peccatorum remissiva: item quia humanitas Christi est instrumentum excellentiæ physicum remissionis peccatorum, et causa principalis moralis meritoria ac satisfactoria: ergo non debuit committere Ecclesiæ (etiãsi posset) institutionem pœnitentiæ, in qua specialiter viget omnipotentia instrumenti physici, et excellentia causæ principalis meritorie et satisfactorie.

VIII. Ad fundamentum oppositæ sententiæ respondetur, non solum